

Provisio honoris et bonæ fame, civi:
um Gedanensium exauthoratorum.

107

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae etc. Ma:
nifestum facimus universis. Quia cum
intellexeramus graves motus et seditiones
intestinas anno presenti fuisse excitatas
in civitate nostra Gedanensi, et præter al:
lia multa facinora adversus religionem
sanctam, et auctoritatem nostram regiam
insolentissime commissa, etiam burgrabi:
um nostrum, proconsules, consules, scul:
tatum, scabinos et alios officiales exau:
thoratos, hos videlicet: Georgium Branth,
Henricum Wisse, Mathiam Lange procon:
sules, Ulricum Hueser, Delardum Bran:
dis, Reynoldum Feltstett, Eduardum Nederhoff,
Heningum Schum, Joannem Tuckinck, Jaco:
bum Apcagen, Eggerdum Vonkempen, Ebre:
hardum Boge, Michaelen Kessler, Micha:
elem Borenzoth, Casparum Ewerth, Joan:
nem Varendorp, Georgium Bazof, Gerhar:
dum Aseran, Gasparem Memel, Nicola:
um Hacke consules, Georgium Schepper
scultetum, Philippum Angermunde, Joan:
nem Stulte, Andream Vondemvasser, Hen:
ricum Frederik, Hermannum Goldbergk, et
Michaelen Thyle scabinos. Nosque cum an:
te per nuntios et oratores nostros, tum

novis:

novissime advocatis ad nos nonnullis tam
ex novo, quam etiam antiquo consulatu
et scabinatu, diligenter causas tantorum
malorum scrutati essemus, compensis-
musque evidentissimis argumentis, rationi-
bus et testimoniis, proconsules, consules
et officiales ipsos predictos, non aliqua
culpa vel demerito suo, sed insolentia
plebis, et seditione populari tumultuarie
depositos et exauthoratos, et cum ad alia
indigna, tum etiam ad inscriptiones, obigna-
tiones et recognitiones, eas videlicet, quod
ipsi una cum quibusdam concivibus su-
is, videlicet Petro Schole, Joanne Apcagen,
Joanne Howner, Joanne Angermunde, Lau-
rentio Schole, Georgio Baltazar, Jacobo
Melmann, Petro Vonhamburg, Joanne Gle-
ser, Laurentio Holck, et plerisque aliis
bonis et fidelibus civibus, causam mo-
tibus et seditionibus predictis prestiterint,
metu coactos fuisse, presentibus literis et
decreto nostro regio pronuntiamus et de-
cernimus, quod hec eorum per plebem
depositio et exauthoratio, eorumque coacta
quavis inscriptio, obignatio et recognitio,
ac quidquid adversus illos per contume-
liam, convitia, libellos et cantilenas famo-
sas, domi et apud ceteras gentes, per
nonnullos quosdam cives temerarios et se-
ditiosos de communitate, vel quemvis ali-

um, de causa caecitati tumultus in civita:
 te, et republica male administrata, et ali:
 is id genus dictum sit, aut etiam scri:
 ptum, culpa ipsorum caveat, neque quid:
 quam eis, eorumque posteris, in honore
 et bona existimatione offiari debeat
 nunc et in posterum, et praesertim cum
 ipsi exhibuerint, et parati fuerint et sint
 omnibus, quicumque eos quomodolibet culpave
 vellent, coram nobis respondere, suumque
 honorem et innocentiam tueri. In cuius
 rei testimonium sigillum nostrum est
 presentibus appensum. Datum Cracovia
 die sancti Martini gloriosi episcopi et
 confessoris, anno Domini millesimo quin:
 gentesimo vigesimo quinto, regni vero no:
 stri anno decimo nono.

Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 25 horizontal lines across the page.